

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Meditationes Ex Doctrina De Fideivssoribvs, Tam Secvndvm Ivs Commvne,  
Qvam Provinciale**

Rostochii: Typis Ioannis Iacobi Adleri, [1757?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862458021>

Druck    Freier  Zugang





C. 124.

~~A. D. (L.) 10~~

8

MEDITATIONES  
EX DOCTRINA DE FIDE-  
IVSSORIBVS,  
TAM SECUNDVM  
IVS COMMUNE, QVAM  
PROVINCIALE.

---

26

QVAS  
LOCO SPECIMINIS INAVGVRALIS,  
SVMMO NVMINE CLEMENTISSIME  
ADIVVANTE,  
CONSENSVILLVSTRIS ORDINIS ICTORVM  
IN ACADEMIA AD VARNVM,  
PRAESENTE,  
VIRO CONSULTISSIMO

**DN. HERMANNO BECKERO,**

LL. D. ET INST. P. P. O.  
QVOAD H. A. PRODECANO ET PROMOTORE  
PRO OBTINENDO

GRADV DOCTORALI,  
DIE 24. NOVEMBRIS, A. O. R. MDCCCLVII.

H. L. Q. C.  
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT.

AVCTOR ATQVE RESPONDENS

**THOMAS GEORG SPALDING**  
GVSTROV. MEGAPOLIT.

I. V. C.

---

ROSTOCHII,  
TYPIS IOANNIS IACOBI ADLERİ, SEREN. DVCIS REGN. ET ACAD.  
TYPOGRAPHI.

96

DIGITATIONIS  
SOCIALE DE FIDE  
IN LIBRARIA  
MAV. DOMINI. 1544.  
FESTINATE

PRO SPES CIVILIS TRANSGARALIE  
CIVILIS IN MARCHIA DILECTISSIMA  
CONSERVATUR TERRA LITORALIS  
M. C. A. V. A. M. I. G. T. O. R. A. M.



C. H. M. M. C. K. E. R. O.

GRANADA 1544. 1544. 1544.

1544. 1544. 1544.

1544. 1544. 1544.

1544. 1544. 1544.



Q. D. B. V.

Tota nostra privata politica jurisprudentia, propter diversas legum species, ex quibus in germania hauriri debet, incertitudine varia laborat, et ambiguis nonnunquam opinionibus contra ambiguas opiniones repleta deprehenditur. Non opus erit prolixa probatione, quando hoc defendo, nam quotidiana exempla eam veritatem satis docent, sententiae contra sententias in judiciis promulgatae corroborant, et ipsi ingenui Icti lubentes hoc profitentur. Non consuetudines solum, praeter et contra leges, ipsis scriptis dispositionibus in dijudicanda conformitate actionum ex voluntate legislatoris admixtae, quarumque et veteres et noviores Germaniae incolae tenacissimi fuerunt, et adhuc hodie sunt, hunc infelicem legitimae scientiae statum producunt. Quippe quae ex retro judicatis deducendae atque dijudicandae, non posunt non perpetuas in foro altercationes de requisitis legalibus, earumque probatione et deductione producere. Sed et famosa illa jurium peregrinorum

A 2

norum



norum cum corpore juris Iustiniane et canonicí receptio multo majus malum nostrae patriae attraxit, quam olim translatio legum graecarum in rem publicam romanorum. Legantur modo, si placet, querelae hac de re a GRIEBNERO in *Diss. de jure incerto, ex dubia legum, quibus utimur, auctoritate oriundo*, KESTNERO de reformanda jurisprudentia, et BVRCHARDO de *nævis et remedii hodiernæ jurisprudentiae*, jam fusæ, et satis convincetur L. B. de veritate dictorum. Ut enim taceam incertitudinem jurium atque obligationum in negotiis forensibus exinde obviam, quia incertum, an ex dispositionibus et legibus Germanorum, Romanorum, an corporis juris canonici decisio litis in casu obvio fieri debeat; saepe numero ipsa principia nostræ jurisprudentiae Germanicae plane mutata et adulterata comprehenduntur per interpretationem ex doctrinis jurium peregrinorum ad statum nostræ reipublicæ domesticum vix ac ne vix adplicandis. Notatu digna hic sunt verba TITII in not. ad praefamen compendii pandect. Lauterbachiani, ita concepta: *Declaratio juris Germanici ex rationibus domesticis est facienda, ex jure romano eadèm perinde infeliciter sumitur, atque decla-*



declarationem sacrae scripturae quis ex libris aristotelis metaphysicis peteret. Add. BOEHMERVS in *diff. de fundam. pact. fam. ad fideic. incl. cap. 2. §. 2.* Et tamen quotidiana experientia hanc detestandam confusionem claris docet exemplis. Materia de fidejuslорibus, nisi me omnia fallunt, in primis probationem dictorum suppeditat. Erudita illa dislertatio, quam sub praefidio *Viri illustris MANTZELII, ICti et antecessoris hujus academiae celeberrimi ac summe venerandi*, anno 1735. ventilavit *Vir illustris Dominus FRESE*, consiliarius jam aulicus Serenissimi nostri Principis, et sub rubro exstat *de nexu heredum ex fidejussione defuncti*, sat solide jam docet maximam differentiam, quae fidejuslorem romanum et germanicum intercedit. Sed eo non obstante multa tamen in foro in hac doctrina obnubilata manent ex principiis juris mere romanis ad quaestiones de obligationibus fidejuslorum in Germania obtorto collo applicatis. Nuperim dislertatio quaedam in Academia ni fallor Argentoratensi defensa, cuiusque recensionem dant ephimerides res litterarias tractantes, hanc materiam pertractavit. Sed de methodo et opera in deductione illa academica prae-

A 3

flita



stita judicare non possum, qui ex solis recen-  
sionibus litterariis eam cognovi, ipsam autem  
inspicere non licuit. Adlegata quidem docta,  
elegans ac solida dissertatio M A N T Z E-  
LIO - F R E S I A N A tam, quam altera  
*de praestatione ratae sub praefidio Viri jam*  
*perillustris SCHMIDII, Serenissimo Prin-*  
*cipi nostro a consiliis regiminis a Dno. Doctore*  
*HOLSTEN, practico Güstrovieni celebratis-*  
*simo anno 1741.* in academia hac patria de-  
fensa, plurimas de praesenti materia ex le-  
gibus provincialibus patriis decidendas qua-  
estiones, sufficienter jam elaboratas nobis sistunt.  
Haut tamen plane frustraneum judico labo-  
rem, quando loco speciminis inauguralis me-  
ditationes quasdam, multo infeliciori licet, et  
plane inaequali hisce doctis elaborationibus ad-  
legatis, marte, exercitii causa addere conarer.  
Hoc unicum solummodo cavens, velis L. B.  
primitias hasce meas academicas benigno sub-  
mittere judicio, et in censendis illis ad vulga-  
tum gratiose respicere, quod licet desint vires,  
tamen laudanda maneat voluntas.

FAXIT DEVS, VT INCEPTA  
CEDANT FELICITER.





§. I.

IN DIUDICANDA MATERIA FIDEISSIONIS HO-  
DIERNAE SEMPER EX SIMPLICI PACTORVM,  
ET CONSTITVTI DEBITI ALIENI CONCE-  
PTV DECISIO PETENDA.

  
Conceptum genericum fidejussoris romani ex  
idea stipulationis evolvendum, ejusque diffe-  
rentiam a constitente debiti alieni, manda-  
tore, et expromissore, satis jam evolutum,  
legibusque ipsis enucleatum dedit supra adl.  
solida *dissertatio MANTZELIO-FRESIANA*  
*cap. I. §. I.* simulque ostendit, propter cessantem in Ger-  
mania rigorem stipulationis hodie fidejussionem german-  
icam quibusunque fieri verbis, et omnem hinc fide-  
jussionis differentiam a constituto atque mandato, sal-  
tim quoad effectum practicum, hodie sublatam esse *cap. 2.*  
*§. I. et 2. add. WERNH. in obs. praet. vol. I. part. I. obj.*  
*29.* Ne itaque repetendo haec omnia supervacaneum  
suscipiam laborem, ad ibidem deducta provoco. Suffi-  
cit hoc unicum hic repeterem, quod quae in legibus ro-  
manis a fidejussoribus praedicantur, et unicam suam  
adaequatam rationem in doctrina de stipulatione roma-  
na ejusque solemnibus interrogacionum et responsio-  
num



num formulis agnoscunt, hodie in foro exulare debeant, ac omnes quaestiones de juribus ac obligationibus ex negotio fidejussorio oriundis, ex nuda ac simplici pactorum natura, legibusque potius romanis de constituto debiti alieni disponentibus, deciduae maneant in regula, nisi speciale quid, in legibus provincialibus Germanorum hac de materia determinatum probari possit. Prono alveo haecce omnia ex vulgato illo jam per se fluunt, quod cessante ratione legis, et cessare debeat legis dispositio. Et licet in respectu ad hoc brocardicum haud sine omni fundamento dubium movere possit forsitan WILDVOGEL in eleganti diss. de legum quarundam justinianearum non usu in germania ex earundem rationibus ne quidquam probando: tamen hic notandum venit, ne quidem aliam rationem in statu domestico nostrae reipublicae fundatam in singularibus illis, quae ex rigore stipulationum penes fidejussores romanorum stricte sic dictos leges latii exigebant, doceri posse, nisi forsitan magis lusus ingenii, quam veram rationem respicere quis velit, quod tamen regulis genuinae interpretationis juridicae contrarium. Conf. RITTER in regul. interpretation. jurid. praestantior. ex adaequat. princip. demonstrat.

### §. 2.

FIDEIVSSOR AD CERTVM TEMPVS SE OBLIGANS  
ELAPSO ILLO TEMPORE IPSO IVRE LIBERA-  
TVR, ET NON INDIGET PRO-  
TESTATIONE.

Positis hisce in §. praecedenti adductis principiis eo securius judicium ferri potest de sententia LAVTER-  
BACHII in compend. pandect. tit. de fidejuss. in f. adducta,  
quae



quae fideiussori , promissum suum ad certum tempus  
licet restringenti , quando creditor post lapsus tempo-  
ris a debitore solutionem adquirere non potest , et ra-  
tione futuri , et praeteriti , obligationem solvendi impo-  
nit , nisi protestationem , tempore adjecto elapso , interpo-  
suerit , eaque interveniente a nexu obligatorio se libe-  
rari curaverit . Quam opinionem et suo calculo appro-  
bat BEYER in delineat. pandect. tit. de fideiuss. §. 30. Quia  
enim formula solēmnis contractuum stricti juris , et ver-  
borum praeſertim obligationis , non admittebat diei adje-  
ctionem , et hinc licet promissio ad certum tempus re-  
stricta eſſet , et in diem facta deprehenderetur , tamen  
ad tempus non poterat deberi , atque perpetuabatur con-  
tra intentionem promittentis obligatio , donec elideretur  
ope exceptionis ex natura pacti adjecti a promittente op-  
positae ; §. 3. Inst. de verb. obl. L. 44. §. 1. ff. de oblig. et  
action. et fideiussor quoque , qui ſemper mediante stipu-  
latione interveniebat , licet ad tempus restrictam fuſcep-  
piffet obligationem , tamen rigore legum latii in perpe-  
tuum obligatus manebat , niſi ſpatio temporis expleto ſe  
a nexu liberari , aut cautionem ſuam ſibi reddi , poſtula-  
verit L. 7. C. de locat. et conduct. Nec obſtat mihi L. 10.  
C. mand. vel contra : ubi de mandatore , qui tamen ex ſolo  
confenſu tenetur , L. 12. § 14. ff. mand. vel contra pr. et  
§. 1. Inst. de obl. quae ex conf. nihilominus , quod exce-  
ptione munitus ſit , dicitur . Nam contradictionem hanc  
apparentem mox tollunt ipſa verba legis immediate ſe-  
quentia : et injuria judicis damnatum : ſatisque oſtendunt ,  
mandatoris obligationem non ope exceptionis tolli , ſed  
eum ipſo jure jam liberatum eſſe , quia alias judec , ex-  
ceptionem non expreſſe in judicio oppofitam , ſed a man-

B

da-



datore reō omissam, non curans, non injuria damnaſſe  
 dici potest. Unde ſatis patet, mandatorem exceptione  
 munitum, in L. adl. non deſignare mandatorem, ob per-  
 petuatam ex natura contraetus obligationem, elapſo licet  
 tempore adhuc obligatum, ſed potius alia quadam oppo-  
 ſita exceptione ſe defendantem, quam licet in judicio  
 oppoſitam, tamen iudex non attendit. Vera itaque atque  
 adaequata ratio, quare romani fidejuſſorem, licet ad tem-  
 pus ſolummodo fidejubentem, niſi elapſo tempore ſe li-  
 berari expreſſe poſtulaverit, tamen obligatum haberent,  
 in ſtipulationum, cum qualibet romana fidejuſſione con-  
 junctorum, rigore deprehenditur. Ad quas itaque leges  
 romanæ, et praecipue *ad adl. L. 44. §. I. ff. de oblig. et  
action.* ipſi provocant **L A V T E R B A C H I V S** et **B E Y E R V S**  
*l. c.* quando ſententiam ſuam de neceſſitate protestationis  
 a fidejuſſore ad tempus obſtricto interponenda legibus  
 corroborare ſtudent. Quam et meam ſententiam *argt.*  
*L. 18. pr. ff. de conf. pecun.* ulterius probatam dat. Si au-  
 tem haec eſt ratio, quis tunc non vidit, hodie hanc pro-  
 testationem plane non neceſſariam eſſe, ut fidejuſſor ex  
 pacto ſuo ad tempus ſolummodo ſecuritatem promittens  
 a nexu liberetur obligatorio, a quo ſolus lapsus tem-  
 poris eum jam immunem praefat ex principiis univer-  
 ſalibus, quea ultra intentionem paciſcentis obligationem  
 fuſceptam extendi non permittunt, quiqe fidejuſſor hinc  
 nec ratione futuri, nec ratione praeteriti, poſt temporis  
 lapsum tenetur creditori, licet alto silentio ejusmodi pro-  
 testationem omiferit, niſi creditor probare poſſit, debi-  
 torem jam durante tempore fidejuſſionis non ſolvendo  
 fuſſe, et ſe debito ac legitimo modo debitorem inter-  
 pellaſſe: **WERNH.** *part. 3. obj. 107. part. 7. obj. 34. M E V.*  
*part.*



part. 9. Dec. 167. qui simul limitationes et modificatio-  
nes temporis fidejussioni adjecti hac in quaestione sedulo  
observandas addit, an tempus scilicet solutioni, an ob-  
ligationi adiectum sit; an adiectum limitet, an finiat ob-  
ligationem. De tempore enim obligationi, non solu-  
tioni, et quidem eum in finem, ut tollatur, non ut limi-  
tetur, dicto, mihi sermonem esse in praecedentibus, per  
se constat.

§. 3.

FIDEISSLOR HODIE ET IN MAIOREM SVM MAM  
IMMO ET AD ALIAM REM SE EFFICACI-  
TER OBLIGARE POTEST.

Eodem quoque modo, eademque ex ratione sem-  
per dubium mihi remansit de vero ac genuino in foro  
hodierno usu practico dispositionis legum romanarum, vi  
cujus fidejussor magis quidem et arctiori nexu, non autem  
in majus, vel duriorem causam, multo minus in aliam rem  
se obligare posse, dicitur. Provocant DD. ad probandam  
hanc sententiam ad L. I. §. 4. de verb. obl. L. 8. §. 7. ff. de  
fidejuss. et mandat. §. 5. Inst. de fidejussor. L. 42. ff. eodem: ut  
et ad L. 4. ff. de compensat. Immo tam altas radices egit  
haec doctrina, ut vix ac ne vix invenies Ictum, qui  
ei contradicere audeat, nisi forsitan excipere velis HEN-  
RICVM van dem BVSCH in diff. de fidejussore in majo-  
rem summam, quam quae debetur, adhibito: qui tamen, an  
ipse deserat communem opinionem, an dissentientes so-  
lummodo adleget, certus determinare non possum, quia  
dissertatio illa, quam in hac materia solummodo adle-  
gatam inveni, ad manus non est, quo ipsam inspicere  
possem. Interim tamen me de veritate hujus legalis pro-  
positionis in foro hodierno dubitantem, magis adhuc

B 2

dubium



dubium reddit, qui ipse tamen cmmunem opinionem strenue cantat, *S T R Y K in caut. contr. Sect. 2. cap. 6.*  
*§. 18.* sicuti ex infra dicendis clarius apparebit. Examina-  
nanda ergo manent ipsa legum verba, atque ex iis ad-  
aequata et vera ratio hujus theses enucleanda, ut eo  
melius de practico genuino usu hujus doctrinae in Ger-  
mania judicium ferri possit. Quod itaque primo *ad L.*  
*4. ff. de compensat.* attinet, ea non dispositive, sed enun-  
ciative saltim, ac incidenter hanc quaestione tractat,  
et hinc secundum regulas verae, non fucatae interpre-  
tationis juridicae, ad corroborandam hanc radicatam, si  
ita dicere fas sit, sententiam, nil relevat. De eo enim  
solo casu, re rectius perpenfa, loquitur, an debito prin-  
cipali antea jam per compensationem extincto, fidejus-  
sor tamen ad solvendum conveniri possit ea ex ratione,  
quia nil pervenit ad creditorem, et fidejussor non ex  
propria persona, sed tertii, debitoris principalis scil. op-  
ponit exceptionem compensationis, quae tamen hoc in  
casu, quia fidejussor, cum debitore principali, pro quo  
in subsidium promisit, pro una persona habetur, ipso  
jure statim tollit omnem obligationem. Porro quidem  
*L. 8. § 7. ff. de fidejuss.* decidit hanc quaestione proposi-  
tivam, sed plane nulla adlegat verba, undenam ratio hu-  
jus dispositionis colligi possit, nisi forsitan verba ibidem  
adducta adlegare quis velit. *Illud commune est in univer-  
sis, qui pro aliis obligantur:* atque ex iis concludere, quod  
id, quod in universis, ac omnibus obligationibus pro aliis  
susceptis commune, et indistincte obtinet, non rationem  
suam singularem habere possit, in natura stipulationum,  
quae fidejussorem stricte sic dictum penes romanos obli-  
gatum reddebat. Reservo autem mihi responzionem  
ad



ad haecce obmota, et resolutionem dubii hisce ex verbis apparentis in infra dicendis. Clarius atque magis perspicue in hac materia mentem exponit VLPIANVS in L. I. §. 4 ff. de verb. oblig. quando ita scribit: *Si stipulanti mibi decem tu viginti respondeas, non esse contractam obligationem, nisi in decem, constat.* E contrario quoque, si me 20. interrogante, tu 10. respondeas. *obligatio, nisi in 10, non erit contracta.* Sed quis tunc non vedit, in solemnni interrogationum et responcionum formula, quae non alia admittebat in respondendo verba, quam quae in interrogatione aderant, totam ac unicam rationem hujus legis contineri. Praesertim quando ad verba mox sequentia respicimus: *licet enim ( propter congruam scilicet respcionem ) oportet congruere summam, attamen manifestum est, viginti et decem inesse.* Quando itaque defensores sententiae adductae, quod fidejussor in majorem summam se valide obligare non possit, ipsi ad hanc legem provocant, etiam admittere debent, quod ratio adaequata exinde deducenda maneat, quia natura et conceptus fidejussionis, semper per stipulationem solemnem contrahendae, congruam penes latios requirebat respcionem. Coincidit re recte perpenfa cum hac L. I. adl. et §. 5. *Inst. de fidejussoribus*, licet ad naturam obligationis accessoriae, tanquam ad aliam rationem nos remittere videatur, quae et in accessoria obligatione, per simplex pactum contracta, locum habere possit. Nam verum quidem est, quod fidejussoria obligatio, quae in subsidium solum recipitur, tanquam accessoria, in regula non possit plus, seu majorem summam continere, quam principalis. Sed non absolute et absque omni opposito hoc obtinet, nec adeſt ratio sufficiens, quae contrario



per pactum determinato contradicat. Hinc in fidejussionibus romanis hoc necessarium erat, quia creditor stipulando cum fidejussore eandem illam quantitatem exprimere debebat interrogando, quae in principali obligatione comprehendebatur. Magis adhuc et haeresin meam, quod ratio totius hujus dispositionis romanae in singulari natura fidejussionis per stipulationem contrahendae contineatur, corroborant verba L. 42. ff. de fidejuss. quia in aliam rem, quam quae credita est, fidejussor obligari non potest. Cum ratio in sequentibus verbis subjuncta a legislatore, nimis iterum obscura, et inadaequata manet. In primis cum et foemina, pro alio intercedens, accessorie obligatur, et tamen per obligationem rerum suarum intercedere potest, L. 5. L. 7. C. ad S. Vellej. et in constituto, licet quoque species accessoriae obligationis maneat, tamen valide et efficaciter alia plane res, quam quae debetur, et promissa est, constitui potest; L. 1. §. 5. ff. de constit. pecun. immo plus loco et tempore, quam prima promissio continet, licet complectatur, tamen vallet. L. 3. in f. ff. eod. Vnde et verba L. 8 §. 7. ff. de fidejuss. supra in contrarium adducta, ex rubro tituli explicanda mihi videntur, quod scilicet in omnibus et universis, qui per fidejussionem, (de qua sermo est in titulo) pro aliis obligantur, hoc commune sit. Ne antinomia maneat cum aliis legibus supra allegatis. Quo itaque colore, quaque ratione adhuc hodie sententiam, tanquam absolute necessariam defendere conantur, STR YK l. c. aliqui Icti, quod fidejussor non possit se sponte, et proprio motu valide atque efficaciter obligare pro majori summa, aut aliam plane rem in subsidium promittere, quam quae in obligatione principali continetur, et licet hoc

hoc factum sit, tamen promissio tantum pro concurrente summa subsistat, eo minus perspicere valeo, cum ipse STRYKIVS l. c. admittit, quod juramentum accedens hanc, alias ex sua sententia inefficacem obligationem efficacem reddat, quod tamen si naturae ac indoli accessoriae obligationis in se consideratae contrarium esset, verum haut esse potest. Nisi juramentum legi prohibitive contrarium, contra analogiam et juris civilis, et canonici, validum accipere velis: Conf LVDOVICI Diff. de brocard. omne juramentum servandum.

§. 4.

EIDEIVSSOR MINORENNIS NON QVIDEM SEMPER, SED TAMEN NON NVNQVAM, CVM MINORENNI RESTITVITVR.

Fidejussor et debitor principalis unam in foro sustinent personam. MEV. part. I. Dec. 117. n. 3. Iura enim, quibus in defendendo utitur debitor principalis, et fidejussori praestant defensionem, quae qualitas in legibus determinata personarum juridicarum unitatem producit. Conf. HERTIVS de pluribus hominibus unam person. sustinent. Hinc exceptiones reales, seu quae rationem, quare competant, in ipsa debiti qualitate agnoscunt, et debitori principali prosunt contra creditorem, etiam fidejussori competit, atque ab eo, quippe qui ex eodem debito obligatur, opponi possunt. Unde et compensationis exceptione ex persona debitoris principalis utitur. MEV. part. I. Dec. 117. licet quoque hic non sit solvendo: MEV. part. 2. Dec. 116. Immo cum reale magis sit, quam personale beneficium, quod legibus communibus omnibus debitoribus indistincte datur, fidejussori



jussori pariter, quam debitori parata erit exceptio, non in eo solum judicio, cui debitor principalis subest, sed et in alio foro: M E V. part. 3. Dec. 261. part. 4. Dec. 150. Quid quod et invito et contradicente debitore principali ejusmodi realibus exceptionibus utendi potestate gaudeat: L. 15. pr. L. 32. ff. de fidejussor. Sed de realibus exceptionibus hoc solummodo accipiendum. Quae enim in sola ac singulari qualitate personali debitoris principalis fundantur, huc referri non possunt, quippe quae jura personalissima, in alias haut transferenda, continent. M E V. part. 8. Dec. 141. part. 3. Dec. 261. n. 2. Unde nec beneficium restitutionis in integrum minori propter laesionem ex inito negotio imminentem, aut illatam, ex capite minoris aetatis competens, fidejussor pro se allegare valet ad elidendam actionem a creditore, post impetratam a minorenni restitutionem, contra se institutam. Non enim cum scirem minorem, et ei fidem non haberem, si tu fidejusseris pro eo, aequum est, fidejussori in meam necem, subveniri, sed potius ipsi deneganda erit mandati actio. In Jumma perpendendum erit praetori, cui potius subveniat, utrum creditori, an fidejussori, nam minor capiis neutri tenebitur. Sunt verba V L P I A N I in L. 13. pr. ff. de minor. Nec si quis pro pupillo sine tutoris auctoritate obligato fidejusserit, ei subveniatur, quoniam illi mandati actio non competit. L. 25. ff. de fidejussor. Licet autem haec omnia ita se habent in regula, excipiendi tamen manent duo casus, ubi et minoris restitutio ex capite minorenitatis fidejussori prodest, et exceptionem, qua se defendit, producit. Si nempe 1.) per restitutionem cessat in minorenni, qualitas singularis, pro qua fidejussit: Unde si pro herede minorenni fidejusserit, et minor resti-

restitutus ab hereditate abstineat, vel eam repudiet, et fidejussor liberatur a nexu obligatorio. *L. 2. §. 1. ff. de administr. et peric. tutor.* *L. 89. f. de acqu. hered.* Quod idem et obtinet, quando pro minorenni defensore fidejussionem suscepit. *L. 51. pr. ff. de procurat.* cuius exceptionum ratio in eo deprehenditur, quod sublata in totum obligatione principali, et tolli debeat accessoria, et non pro minorenni in genere, sed sub ea solummodo qualitate suscepit fidejussionem. Et porro 2.) quando fidejussor heres sit minorennis. Tunc enim non amplius qua fidejussor, sed qua heres considerandus manet. Si modo absque beneficio inventarii adierit hereditatem.

## §. 5.

MILITES FIDEIVBERE HODIE NON  
PROHIBENTVR.

De clericis, tam majoribus, quam minoribus, quod et in protestantium et pontificiorum foris, validam fidejussioniam obligationem suscipere queant, non obstante *Nov. 123. cap. 6. et cap. 1. et pen. X. de fidejussor.* satis ac solide jam probatum dedit *BOEHMERVS in jur. ecclesiast. protest. Tom. 2 Lib. 3. Tit. 22. §. 4. et 5.* Isdem ex rationibus, ac plane similibus argumentis et probari posse mihi videtur, quod milites tam majoris ordinis, quam gregarii, si modo hi propter penuriam bonorum non fiant inidonei, efficacem in foro, ac validam inire ac promittere possint fidejussionem, non obstante *L. 31. C. de locat. et cond.* Nam quod verba leg. adl. *Milites nostros fidejussores conductorum fieri prohibemus:* certam solummodo speciem prohibeant, et hinc formando exceptionem regulam magis confirmant, docent jam verba

C

sub-



subsequentia, rationem legis suppeditantia: *Ne omisso armorum usu ad opus rurestre se conferant et vicinis graves praelumtione cinguli militaris existant.* Quae ad fidejussionem pro conductoribus quidem, non autem ad omnes omnino fidejussiones indistincte quadrant, nisi rotundis miscere velimus quadrata. Immo ad minimum, si etiam romanorum prohibitionem generalem admittere vellem, inde tamen ad praxin hodiernam argumentum trahi non potest, quoniam milites apud nos nulla lege prohibentur se obligare ex quoque contractu. Nisi forsitan fingere velis imminentem in limitibus contratus actualem expeditionem, ad quam jam vocatur miles fidejubens. Quae tamen eum magis inidoneum, et ex arbitrio creditoris recusandum, quam inhabilem ac inefficacem redderet fidejussorem. Unde et supervacaneam ac inutilem judico cautelam a STRYKIO in not. ad Lauterb. tit. de fidejuss. voce milites: suppeditatam per renunciationem hujus beneficii adjiciendam: er wolle sich des beneficii L. 31. C loc. begeben haben. Quippe quae si etiam adhibita contra legem sub hac hypothesi prohibтивam nullius erit momenti.

## §. 6.

**AN ET QVATENVS PRO DOTE ADMIT-  
TATVR FIDEIVSSOR,**

Omnibus porro nota est controversia, an pro dote fidejussores licite interveniant, quam eleganter quidem, sed si dicendum, quod res sit, haut satis sufficienter ex legibus, affirmative simpliciter decidere studet LEYSER Specim. 523 med. 8. Ex omnibus enim ab eo adductis argumentis, si quae in me judicii vis, quam iudico,

dico, quae sit exigua, unicum illud ex cap. 7. X. de do-  
 nat, inter vir. atque uxor. et ex praerogativa iuri canonico  
 in foro indistincte prae iure romano concedenda, qua-  
 tenus scilicet principiis nostrae religionis haut adverse-  
 tur, ad rhombum solummodo quadrat. Intuitu enim  
 reliquorum idem illud opponi potest, quod ipse vir illu-  
 stris in eod. Spec. 523. med. 3. et 4. aliis objicit, quod se-  
 cundum leges nempe judicare, et opiniones negligere  
 debeat ICtus. Nec de legibus philosophandi artem, sed  
 eas rite interpretatas ad obvios casus ex voluntate legis-  
 latoris adipicandi, exigit officium judicis, qui minister,  
 non magister legum constituitur a principe. Fallor ita-  
 que egregie, aut in tota hac controversia status ejus haut  
 rite formatur ex L. 2. C. ne fidejuss. vel mand. dat. dent. a  
 defensoribus et hujus, et illius sententiae. Exponam  
 meas conjecturas, et judicium benignum, an male an  
 rite formatae, B. L. committam. Iam tempore impe-  
 ratorum Gratiani, Valentiniani, et Theodosii fidejussio  
 pro dote per legem indefinite conceptam abolita erat, et  
 verbis generalioribus interdicta. vid. L. I. C. eod. Ori-  
 bantur hinc ex hisce generalioribus ac indefinitis verbis  
 legis jam in republica antejustinianea, si ita dicere fas  
 sit, multifariae inter ICtos altercationes, quorum qui-  
 dam ad verba generaliora, quidam contra ad intentio-  
 nem legislatoris ex ratione restringendam provocabant.  
 Ad quas decidendas Iustinianus in L. 2. C. eod. quae una  
 est ex 50. decisionibus, regulam perpetuo valitaram  
 disponit, quae non quidem in totum fidejussionem pro-  
 dote prohibet, sed tunc et in eo casu solum, si dos sub  
 initio matrimonii inchoandi absque stipulata fidejussione  
 promissa esset, postea autem ipso matrimonio jam in-

C 2

choa-



choato forsitan solutio, et implementum promissi, sub  
 specie fidejussoris in securitatem dotis praestandi, sus-  
 penderetur, constituebat, quod nulla satisdatio nec man-  
 datum pro dote exigendum sit a marito, vel a patre ejus,  
 vel ab omnibus, qui dotem suscipiunt. Ita ni fallor, et  
**CARPZOV.** part. 2. const. 42. def. 17. sub initio quodam-  
 modo fluctuans, tandem tamen in fine n. 8. et 9. hanc  
 legem explicat, quando scribit: *Plane, maritum volentem*  
*valide dare fidejussores pro dose, ac titulum C. ne fidejuss. dot.*  
*dent. non tam prohibere fidejussionem, quam ne quis invitus*  
*fidejussoribus cavere cogatur, existimat Duaren. in tract. sol.*  
*matr. sub tit. de dote cap. 4. quod et placet Hart. Pistor. obs.*  
 35. ubi pro dotalitio etiam per fidejussores jure caveri ait.  
 Atque cum hac explicatione adhibita optime quoque  
 cohaerent verba legis subsequentia: *Si enim (absque an-*  
*tecedenti exactione fidejussionis) credendam mulier seje,*  
*suaque dorem, patri mariti existimavit, quare fidejussor,*  
*vel alius intercessor (ex postfacto absque omni alia super-*  
*venienti ratione, ex solo pruritu cavillandi) exigitur.*  
*ut causa perfidiae in eorum connubio generetur.* Binis: lex  
 adl. et promissionem et exactionem fidejussoris pro dote  
 in se nullo modo prohibet, sed quando absque exactione  
 ejus solutio dotis promissa, et postea absque nova ac-  
 cedente ratione tamen exigitur, marito concedit faculta-  
 tem solutionem urgendi etiam absque satisdatione. Quod  
 quare nec hodie obtinere debeat, nullus perspicio. Et eo  
 minus in probatione ac decisione hujus quaestioneis pro-  
 vocandum manet ad lubricum consuetudinis legi roma-  
 nae contraria fundamentum, cum verba in **WEICH-**  
**BILD** art. 24. coincidant. *Dieweil ihr ihr Ehegeld nicht*  
*geleistet wird, das ihr gelobet ward, da sie ihren Mann*  
*nahm,*

nahm, darf sie auch die Gewehr des Gutes nicht räumen, die Erben weyßen sie dann ab mit Recht, oder mit Güte. Hat sie aber Bürgen dafür, so darf sie die Erben nicht mahnen, weder in der Güte noch zu Recht, so soll sie die Gewehr räumen, und dem Gelübde der Bürgen folgen.

## §. 7.

RATIO, QVARE FIDEISSLOR, QVI SE OBLIGAVIT, VT DEBITOR PRINCIPALIS, ALS EINEN SELBST SCHULDIGEN BÜRGERN, NEC RENUNCIAVIT BENEFICIO EXCUSSIONIS, TAMEN VTI POSSIT  
HAC EXCEPTIONE.

Fidejussor in subsidium solummodo, deficiente debitore principali, seu eo non solvente, et moram necente, promittit solutionem: §. I. b. d. Competit itaque illi convento, per leges et praxin notoriam, beneficium excussionis seu ordinis, quoties ante debitorem principalem excussum convenitur. Nov. 4. Cap. I. auth. praesente: C. de fidejuss. Sponte interim renunciare potest huic beneficio pro se introducto, atque se ut expromisforem obligare, sicuti omnes hanc doctrinam exponentes satis docent. Et sufficit hoc in casu generalis renunciatio, ac per verba aequipollentia facta, si modo sit subalterna, vti verba CARPOVII sonant, seu ad negotium fidejessorum, et exinde resultantem obligationem, directa sit. CARPOV. Part. 2. const. 17. def. I. sqq. MEV. part. 9. dec. 186. Quaestio exinde maxime vulgata resultat, an non fidejussor per clausulam, qua se ut debitorem principalem obligat, wenn er sich als eiuens selbst Schuldener verschrieben, notulae cautionis adje-



etam, beneficio excussionis renunciasse censendus sit. Rationes haut vulgares, et maxime stringentes, a dissentientibus in hac controversia pro et contra delegantur, quas collectas sistunt COTHMANNVS vol. I. resp. 22., qui negativam, et GVNDLING in *diff. de benefic. excus.* cap. 5. §. 5. qui affirmativam defendit. Uterque simul cohortem DD. secum sentientium allegare valet. Nec sufficit mihi probatio negativae sententiae, quae ex nuda ea provocatione deducitur; quod in praxi ita receptum, et haec sententia in Saxonia electoralı adprobata sit, qua utitur STRYK in *caut. contr. Sect. 2. cap. 6. §. 22.* Non enim lex Saxonica part. 2. const. 18. dec. elector. adducta, extra Saxoniam obligat. Et receptio in praxi, uno altero exemplo allegato, probata lubricum semper manet probandi fundamentum, nisi ratio hujus doceri possit, in legibus, aut voluntate principis, tanquam legislatoris, fundata. Vix potest igitur negari, quod rationes eorum, qui tacitam hoc in casu, immo expressam defendant beneficii excussionis renunciationem, maxi-  
 mi sint ponderis. Unde et rationes dubitandi a COTH-  
 MANNO l. c. n. I. 5. adductae, primo intuitu, si non majorem, certe aequalem involvunt concludendi vim ac potestatem, cum rationibus ejus decidendis ibidem adductis. Legantur modo solida argumenta in *Select. Iurid. Rostoch. falc. I. Spec. 32. qu. I.* repetita. *Qualis autem ergo est homo, ein selbst schuldiger Bürger?* quid adjectivum hocce addit substantiva? Ubi et in confiendo responso Facultatis d. d. 6. Dec. 1595., ad quod provoca-  
 cat COTHMANN l. c. Camerarium in contrariam inclinasse sententiam, et hinc ex pluralitate votorum au-  
 toritate Cothmanni ita responsum fuisse nobili Ioh. V.  
 Iar-

Iasmund. refertur. De ratione adaequata itaque praxeos, nativae significationi verborum aliquid detrahentis, et virtutem vocabuli *eines selbstschuldigen Bürgens* in id, quod eventualiter emergit, ponentis, mihi circumspicere liceat. Adducam conjecturas, rationibus et verbis ICtorum, qui ad hanc in praxi receptam opinionem provocant, postea corroborandas. Fidejussor romanus semper mediante stipulatione, in qua congrue respondere debebat interroganti creditor, fuscipiebat obligationem, ex vera tamen sua intentione solummodo subsidiariam: L. 12. C. de fidejuss. Hinc quia correi promittendi fiunt, qui alteri de eadem quantitate omnes interroganti congrue respondent, seque hinc singulos in solidum et principaliter idem datus facturosque tpondent, pr. Inst. L. I. 2. 3. §. I. L. 4. ff. de duob. reis. SCHAVMB. in comp. pand. tit. eod. §. 3. d. quilibet quoque fidejussor romanus, contra suam veram intentionem, subsidiarie solummodo, non autem principaliter se obligandi, per rigorem stipulationis, ut correus statim tenebatur, adeo ut creditor, et omisso debitore principali statim convenire fidejussorem posset: L. 5. C. de fidejuss. L. 4. §. I. ff. eod. L. 20. ff. de cond. indeb. Novas itaque hanc rigorem, quemlibet fidejussorem contra suam voluntatem, et absque ejus intentione tanquam correum et principaliter obligantem, temperantes leges humanior jurisprudentia ex natura subsidiariae obligationis exigebat, quales introducto et concessio beneficio excussionis terebat Iustinianus imperator in Nov. 4. cap. I.: sicuti verba ibidem adducta clarius docent: *Sed et hoc quidem curandum est a nobis possibili modo. Non enim erat, quoddam hic antiquae legi datum pro sanatione remedium: quae propter particulam conjunctivam*



Etiam et additam , ad antecedentia quoque trahenda sunt. Unde in constituto debiti alieni contra ea , non opus erat penes romanos hoc beneficio , nisi stipulatio forsitan accesserit , sicuti probatum jam dedit WERNH , part. I. obj. 29. n. 4. Iam autem hodie fidejussor nuda ac simplici conventione , perinde ac in constituto debiti alieni , subsidiariam promittit solutionem , unde nec beneficio ordinis indiget ad remittendum creditorem contra debitorem principalem prius excutiendum , sed ex ipsa natura obligationis suscepiae per se utitur hac exceptione. *Conf. dicta in §. I. b. d.* Beneficia interim in favorem fidejussorum contra naturam subsidiariae obligationis gravatorum non cessant , atque sublata sunt , sed cum recepto jure justiniane simul in fora Germaniae migrarunt. Quando hinc fidejussor ad instar debtoris principalis se obligat , wenn er sich als einen selbst schuldigen Bürgen verschreibt , tunc casus adest , ubi perinde , ac fidejussor romanus tanquam correus principaliter obligatur , et hinc , recepto excussionis beneficio in Germania simul cum legibus romanis , provocare potest ad hoc beneficium sibi in legibus concessum. Hinc illa in praxi , ex analogia juris sat clara ac perspicua , recepta sententia , quae non obstante illa clausula , notulae cautionis adjecta , ejusmodi fidejussorem ad beneficium ordinis admittit , nisi et illi speciatim ac expresse renunciaverit. Ad hanc rationem quoque , in analogia recepti juris peregrini fundatam , respiciunt verba COTHMANNI in voto in select. jurid. l. c. adducto obvia : quod bisce verbis , daß sie als selbst schuldige Bürgen gelobet haben , nulla novatio , nulla debiti translatio inducatur , sed sola fidejussio denotetur. Immo idem illud denotare vult COTHMANN

M A N N vol. I. resp. 22. quando scribit, quod origo, initium, natura, causa et ratio contractuum semper, et ubique respici debeat, et hinc negari non possit, quin fidejussio hisce verbis contracta sit, non vera expromissio: et licet quaevis verba sic accipienda sint, ut aliquid operentur, id generaliter quidem verum esse, sed locum obtinere non posse, si negotii natura et ratio repugnet. Sicuti et huc respiciunt verba WERNH. part. 4. ob. 26. quando pro ratione hujus sententiae allegat, quod eiusmodi verba seriam tantum, et enixam voluntatem indicent, non vero exinde juris sui renunciationem inferant. Nec simpliciter et indistincte, rectius perpen-  
sa, dici potest, hac explicacione admissa, verba illa ad-  
jecta plane nihil operari. Ut enim taceam arctiorem ne-  
xum, qui iuncta hac clausula, et si nulla adsit beneficii  
renunciatio, celeriorem producit executionem; et ille,  
qui se ut Principalem obligavit debitorem, in omnem  
causam fideiussisse censemur, docente LEYSERO spec.  
524. med. 6.

### §. 8.

FIDEIVSSOR ET PRINCIPALIS DEBITOR SE OB-  
LIGANS, INSTITVTA IAM ACTIONE CONTRA  
DEBITOREM, NON VТИVR EXCEPTIONE LITIS  
PENDENTIS, OMNINO AVTEM FIDE-  
IVSSOR SIMPLEX.

Observatio in §. praec. adducta, quod fideiussor ad instar debitoris principalis se obligans duriorem demum correi romani suscipiat conditionem, salva tamen ordinis exceptione, nisi et huic beneficio specialiter renuncia-

D ve.



verit, et in aliis quaestionibus non nunquam incidentibus, ex analogia iuris decidendis, applicationem et practicum usum exserit. Ponamus enim eiusmodi obligationem susceptam esse, ea tamen non obstante creditorem sponte actionem nondum finitam contra ipsum debitorem instituisse, quam post litiscontestationem deserrere, et licet non liquido constet de debitoris statu insolventiae, contra fideiussorem litem iam suscipere velit, et exsurgit quaestio, an exceptione litis pendentis se defendere possit fideiussor hoc modo obligatus? Quam quaestionem, si de simplici fideiussore sermo esset, ex principiis s. praec. adductis: hodie affirmandam utique iudico, non autem de fideiussore ad instar debitoris principalis obligato. Est enim hic, et manet correus debendi cum debitore principali, licet quoque non renunciaverit beneficio excussionis. In correis debendi autem convenientidis creditorem variare, et uno jam electo, tamen non obstante L. 2. ff. de duob. reis et L. 16. C. de fidejuss. adversus alterum agere, sed altero non excusso alterum convenire posse creditorem, ex L. 23. et 28. C. de fidejuss. jam probatum dedit LEYSER Specim. 522. med. 6. Licet autem hanc litispendentis exceptionem allegare non possit ejusmodi fideiussor correus, tamen ad beneficium excussionis, nisi illi specialiter renunciatum, ei patet refugium, si modo statum solventiae debitoris probare velit et possit, quod refugium addita speciali quoque renunciatione beneficii in totum cessat. Fideiussor autem simplex, licet beneficio quoque renunciaverit specialiter per cautelam abundantem, utique valide hoc in casu opponit exceptionem litispendentis nondum finitae, nisi creditor liquido docere possit, debito-



bitorem principalem aut plane non solvendo, aut diffi-  
cilem conveniendo esse.

§. 9.

HEREDES FIDEIVSSORIS, QVORVM MENTIO  
NON FACTA IN OBLIGATIONE, IPSO IVRE LI-  
BERANTVR IN MEGAPOLI  
A SOLVTIONE,

Obligationes defuncti ex contraetu in regula transeunt ad heredes. Exceptionem tamen in nostra patria adesse in fidejussoria conventione, et heredes fidejussoris ex defuncti promissione non obligatos dici posse, nisi expresse eorum mentio facta sit, ex consuetudine provinciali, et reversal. d. d. 23. Febr. 1621. §. 25. solide jam docuit Illusfr. Dnus. Consil. FRESE in diss. supra jam cit. de nexu hered. ex fidejuss. def. Jub praeſidio illusfr. Dni. Prof. et Consil. Duc. MANTZELII defensa. Actum hinc agerem, si hasce doctrinas sat eleganter jam expositas, i. invita minerva repetere vellem. Liceat interim quasdam meditationes doctis hisce elaborationibus addere, in quibus si forsitan quoque in respectu unius alteriusve particularis puncti a sententia VIRI ILLVSTRIS discedam, proverbium tamen, quod et ab eruditioribus amice dissentire liceat, veniam mihi concedere spero. Docta, solida, ac eleganter elaborata sunt argumenta, quae de origine atque fundamento hujus consuetudinis provincialis inveteratae, postea per legem publicam in reversalibus l. c. adprobatae et corroboratae allegat atque deducit. In eo autem, quin, ad originem et verba legis respiciens, a Viro illustri dissentiam, non possum non, quando heredes ex statuto provinciali competentem ex-

D 2

ceptio-



ceptionem non opposentes , licet eorum mentio non facta sit in fidejussione , condemnados esse ad solutionem putat *in sect. 3. §. 6.* Magni quidem sunt ponderis , minime negare cupio , argumenta , quibus ad defendantam hanc suam sententiam utitur . Sed tamen pace **VIRI ILLVSTRIS** verior mihi videtur contraria sententia , si verba expressa legis generaliora , et conclusionem exinde , connivente et adstipulante origine hujus consuetudinis ductam , respiciam . Tota quaestio ad sequens decisionis fundamentum reducenda manet , an exceptionem an regulam , an beneficium an legem , reversales l. c. contineant . Ultimum ex historia et verbis legis probare posse mihi videtur . Periculum faciam , iudicium de vi atque potestate probationis B. L. relinquens . Connexio art. 25. et 26. d. reversal. d. d 23. Febr. 1621. et verba in quolibet articulo plane diversa , hanc explicationem suadent : Expressa enim consuetudo provincialis , quod plures confidejussores provocare possint ad divisionem in §. 26. dicitur *beneficium eine Einrede, dadurch sie sich entfrenyen können.* Ergo tanquam exceptio per modum beneficii concessa determinatur hoc jus , quae solum excipienti prodest , cuique omittendo confidejussores tacite renunciant . Non autem eodem , sed plane diverso modo disponitur *in §. 25.* intuitu heredem , quorum expressam mentionem non fecit fidejussor cavendo . Dicitur expressa ein Gebrauch , vermdge dessen sie zu keiner Zahlung verbunden . Intuitu heredum itaque ipso jure cessat omnis obligatio ad solvendum , intuitu confidejussorum autem solummodo ope exceptionis . Mecum sentit **TORN**OV. de feud. Meckl. part. I. cap. 3. *sect. 4. §. 2.* quando scribit : *si haec cautela omittatur, obliga-*

tio

*tio fidejussoria* (intuitu heredum scl. de quibus solummodo quaestio) *nullum habet effectum, tanquam vitio nullitatis laborans.* Accedit et aliud argumentum ex analogia juris germanici, et origine hujus consuetudinis provincialis. Regula communis juris germanici aderat, vi cuius negotium fidejussorum pro mere personali negotio censebatur, quod cum persona fidejussoris extincta cessabat in regula. Vid, quae hoc de argumento ipse **VIR ILLVSTRIS** in cit. *diss. sect. 2.* et *in primis* in §. 19. solide deduxit: *Add. assertion. in jur. Meckl. et Lub. illuſtr. cent. I. jud. 53. adl.* Non tamen obstante hac juris germanici consuetudine jus Romanum in forum irrepens obligacionem quoque heredum ex fidejussione defuncti introducebat, et collegia scabinorum DD. juris romaniani commixtorum ex fervore romanizandi omnia hac in doctrina judicando nonnumquam turbabant. Nihilominus dicasteria patria secundum dispositionem juris germanici haut interrupta serie judicabant, nisi forsitan expresse extensio ad heredes in cautione deprehenderetur in obvio casu, atque consuetudinem hanc ad instar legis semper sequebantur in decidendo. Satis hoc atque clare ostendunt verba *rescripti nomine SERENISSIMORVM PRINCIPVM* bac de quaestione ad instantiam nobilis cuiusdam O. zu B. d. II. Octobr. 1574. emissi, et in cit. *diss. sect. 2. §. 10.* *verbatenus allati*, omni non sine pondere verba, je und alle Wege bis dahero, und noch unwandelbare also, niche allein in üblichen Gebrauch gehalten, opponuntur verbis, sondern auch in unserm Fürstlichen Hofgericht, und allen andern Gerichten unserer Fürstenthümer und Landen darnach erkant, und gesprochen wird. Ad instar itaque regulae per consuetudinem obligatoriae,

D 3

non



non autem per modum exceptionis sese habebat, atque in judicando observabatur haec consuetudo provincialis, daß die Erben dererjenigen Bürger, so für ihre Erben ausdrücklich nicht gelobet, zu halten und zu zahlen nicht schuldig seyn, sive zu keiner Zahlung verbunden seyn. Hanc consuetudinem tanquam legem provincialem, diesen Gebrauch dieses Fürstenthums, eodem modo, absque omni restrictione ex natura beneficii et exceptionis deducta, expresse et simpliciter corroborant reversales l. c. Unde et lex adest, quam in judicando sequi debent dicasteria provincialia, quae omnem obligationem tollit intuitu heredum, quorum nulla specialis mentio in fidejubendo facta, non autem per modum simplicis exceptionis concedit et permittit liberationem. Praecipue quia et Ord. Iud. Aul. et Prov. part. I. tit. 4. §. 5. et tit. 15. ac 16. instruit judicem, daß er nach dieser Fürstenthümer und Lande ehrbahren Ordnungen, und redlichen vernünftigen Gewohnheiten sprechen solle, qualis et hic adest. Et si etiam hoc jus ad instar exceptionis considerare velis, est tamen exceptio, quae in legis provincialis dispositione intentioni actoris directo contraria nititur, quia lex provincialis non uti in §. 26. reversus concedit potestatem sich zu entfreyen, sed simpliciter disponit, daß sie zu zahlen nicht schuldig, quamcumque hinc exceptionem juris perinde, ac exceptionem praescriptionis, judex ex officio attendere debet, etiam si non opposita sit.

§. 10.

## §. 10.

HAEC DISPOSITIO IVRIS MECKLENBURGICI AD  
ALIAS PROMISSIONES , PRO ALII SVSCE-  
PTAS, EXTENDI NON DEBET.

Est autem ratio hujus consuetudinis provincialis, postea per constitutionem reversalium expressae adprobatae, in natura singulari fidejussionis Germanicae fundata. *vid. §. praec.* Hinc ad alias promissiones pro aliis suscepitas , quae limites fidejussionum transgrediuntur non extendenda. Unde non solum *in Diff. adl. Sect. 3.* §. 4 heredibus expromissorum vere talium recte haec exceptio denegatur , exceptis tamen iterum heredibus eorum fidejussionum, qui se ut principalem debitorem, als einen selbst schuldigen Bürigen , obligarunt. *Conf. §. praec. 7.* Sed nec heredibus promissoris indemnitätis allegatio hujus juris provincialis prodest , qui potius licet nulla eorum mentio facta sit , tamen valide obligantur, et condemnari possunt. Quippe quae promissio indemnitätis , sive cautio indemnitätis , pro nulla certa persona, sed generaliter in qualicunque negotio ratione omnium , a quibus damnum metuitur , licet non principaliter interposita , nil cum fidejussione commune habet. Unde et mulieres , quae a fidejussionia obligatione alias excluduntur , de indemnitate tamen efficaciter cavent. *Vid. LEYSER Spec. 523. med. 9.* Quae etiam ratio , quare Antecessores Rostochienses d. 4. Octobr. 1628. non obstante nova illa reversalium constitutione in causa cujusdam nobilis P. v. H. Erben B. L. v. M zu Pentzlien ita pronunciarunt , sicuti testatum reddit *Ius Meckl. et Lubec. illustr. cent. 4 jud. 13. et Select. Iurid. Rostoch. fasc.*

*3. Spec.*



3. spec. 6. qu. 9. Ubi notanda manent verba in voto LINDEMANNI adducto obvia. Reversales sunt stricti juris: Qūibus et accedunt verba HEINII ibidem adducti: Et ita hanc constitutionem Megapolitanam, veterem morem adprobantem, quo constituitur, ne heredes fidejussorum teneantur, cum eorum mentio non est in obligatione, limitavimus. Quod tamen ad fidejussores indemnitatis, eorumque heredes minime adipicandum, quippe qui testante LEYS. l. c. med. 10. et 11. veri manent fidejussores.

### §. II.

OBLIGANTVR TAMEN HEREDES IN CAUTIONE  
NON MEMORATI, QVANDO DEFVNCTVS FIDE-  
IVSSOR IAM VIVVS A CREDITORE INTERPEL-  
LATVS IN MORA CONSTITVTVS, AVT ANTE  
LITEM CONTESTATAM MORTVVS. NON  
SEM PER SI CITATIO VIVO  
INSINVATA.

Eodem ex fundamento, et quia id, quod de heredi-  
bus fidejussorum in legibus provincialibus disponitur, ad  
alias obligationes defuncti trahi non debet (§ praec.)  
utique etiam non in foro juris communis solum, sed in  
patria quoque nostra, valide obligantur fidejussorum he-  
redes, licet non ad eos obligationis extensionem in cau-  
tione determinaverit defunctus, quoties in mora per in-  
terpellationem a creditore factam vivus jam constitutus  
deprehenditur fidejussor, aut plane lite jam contestata  
debitum naturae solvit. Mora enim fidejussoris, sicuti  
nec debitori obtrudere valet obligationem in debito prin-  
cipali haut comprehensam, sed proprium ab ipso fide-  
jussore solvendum debitum producit, M E V. part. 7. dec.

208.

208. Ita et mora fidejussoris, post interpellationem creditoris legitimam, in eum nexus obligatorium detrudit fidejussorem, ut non solum obligatus esset, sed vivus quoque solvere debuerit. Quam itaque propriam jam factam obligationem, et hereditario jure ad heredes, alias non obligatos, valide transmittit. Vid. *Diss. adl. MANTZEL. FRES. sect. I. §. 8.* Unde et non obstante supra adducta provinciali consuetudine Ampl. Facult. Iurid. Rostoch. d. 22. Febr. 1611. respondit Iobst Smekern zu Viezkow. Weilen ihr aber Iohann Bassewitz bei seinem Leben gemahnet, so seynd euch desselben Erben zu bezahlen schuldig. *Ius Meckl. et Lubec. illustr. cent. 3. jud. 5. in f.* Porro et litis contestatio a vivente adhuc fidejussore suscepta novationem inducit, et hinc ex conceptu debiti per novationem jam in proprium mutati, heredes quoque in cautione non nominatos vinculat. Vid. *Diss. cit. sect. 3. § 13.* Add. *Select. tur. Rostoch. fasc. 3. spec. 15. qu. 2.* Sed quaeritur jam de casu, in quo actio judicialiter contra vivum adhuc fidejussorem quidem mota, qui tamen insinuata licet legitimo modo citatione ante litiscontestationem moritur, an tunc in patria nostra heredes non nominati maneant ad solutionem praestandam obligati. Respondebat hoc in casu ordo ICtorum Rostochiensium d. 30. Ian. 1600. dem Wichand Moltzahn, Ulrichs sel. Söhne, hisce verbis: So könnet ihr, da auf euer Supplikation der Krieg Rechtens nicht befestiget des verstorbenen fidejussoren Erben mit Recht nicht belangen, sondern müsset euch an den principal halten, und von demselben eure Schuld fordern. *Ius Meckl. et Lubec. illustr. cent. 1. jud. 53.* *Select. tur. Rostoch. fasc. 1. spec. 16. qu. 1.* Et me quidem judice recte respondebat. Nec

E

enim



enim sola citatio morosum statim reddit fidejussorem, quem ne leges obligant ad jus suum temere indefensum relinquendum *L. 40. pr. ff. de hered. petit.* Nec statim novatio debiti ex citatione concludi et derivari potest, quae per litiscontestationem solummodo existit, *L. fin. ff. de fidejuss. et nominat. et hered.* Nam quamvis in illis negotiis, quae in foro romano a litiscontestatione ex ea ratione pendebant, quia primus erat actus in judicio suscepitus, ut in producenda v. c. litispendentia, praeventione, et effectu, ut res fieret litigiosa, citatio in foro hodierno effectus litiscontestationis producere possit, non tamen hoc procedit in aliis negotiis, quae a natura quasi contractus in litiscontestatione qua tali dependent, quo et novationis vis referenda manet *L. I. §. I. C. de annal. except.* ibique verba: *cognitionalia acceperunt certamina.* Manet itaque omni casu obligatio fidejussoris, instituta licet actione, et subsecuta citatione, nondum tamen lite contestata, ex nexu fidejussionis oriunda, unde et dispositio legis provincialis ad ea quadrat.

§. 12.

QVANDO AVTEM HERedes VALIDE OBLIGATI,  
TENENTVR QVOQVE, LICET TEMPORE MOR-  
TIS ACTIO NONDV M NATA.

Sufficienter hanc thesin probatam fistunt *Ius Mecklenb. et Lubeo, illustr. cent. 2. jud. 97.* ibique adductae rationes respondendi, ad quas brevitatis causa memet remitto. Nec dubium manet, quin et in nostra patria hoc adapplicationem inveniat ad heredes ex legis provincialis dispositione obligatos, cum eadem ratio manet. Consectaria tamen exinde fluunt in sqq. §§. repetenda. Unde et hanc decisionem binis allegare verbis operae pretium duxi.

§. 13.



## §. 13.

VNVS CONFIDEIVSSORVM PLVRIVM LICET IN-  
HABILIS SIT, ALTER TAMEN NON NISI AD RA-  
TAM SOLVENDAM TENETVR, NISI SE  
CORREALITER OBLIGAVERIT.

In doctrina de confidejussoribus, eorumque obligatione et ad ratam, et in solidum, ac hoc in casu competente beneficio divisionis, secundum nostrae provinciae mores et leges semper competente, nisi in specie et hisce legibus provincialibus renunciatum sit, omnem ulteriores meditationes adferendi laborem demit, supra jam in praefamine allegata, solide ac erudite elaborata *Dissert. SCHMIDIO-HOLSTIANA de praestatione ratae*: quae omnes huc spectantes quaestiones in decidendo obvias, quarum post publicationem reversarium paucae permanent, satis jam ac sufficienter deductas sistit. Legantur modo quae de practica in foro hodierno distinctione inter exceptionem ratae, et exceptionem divisionis, de prae sumptione hodierna, contra rigorem romanae stipulationis, pro confidejussoribus, se non specifice correali ter obligantibus, et q. s. r. in cap. 2. §. 12. Iqq. doctis ex principiis sanioris jurisprudentiae ad - et deducuntur. Non tamen integrum messem absolvit hocce adlegatum summa cum laude elaboratum specimen, maximo cum studio politum. Remanet tamen hac in materia una alterave quaestio aut in se, aut in modo probandi, dubia. Quas percurrere aut frustraneum et absque fructu forsitan esset. Sed unum alterumve solummodo adducam exemplum. Quod fidejussor cum altero, absque correali obligatione lusepta, cavens, licet etiam alter non sol-

E 2

yendo



vendo sit, haut teneatur ad alterius quoque ratam solven-  
dam, quantum ego perspicere possum, obstringentibus  
licet romanizantibus, sufficienter et satis ibidem addu-  
ctum atque probatum sistitur ex cessante hodie per se in  
fidejussione germanica natura correalis obligationis. Iam  
autem quaestio remanet de dispositione L. 48. ff. *de fide-  
juss.* et casu ibi adducto, quo masculus simul cum foemi-  
na, aut majorenis simul cum minorenni, pro tertio su-  
scipit confidejussionem, et quidem posteriori in casu, abs-  
que consensu curatoris adcedente. Transalpina jura, pro-  
pter naturam correalis obligationis rigorosae, in qualibet  
indistincte ex stipulatu obviam, statim proclivia manent  
ad vinculandum masculum, et majorenem, ad solidi  
praestationem, licet nullae obligationis in solidum suscep-  
tae expresse mentio facta sit. Conf. L. 48. cit. Sub-  
ducitur enim persona inhabilis, sola habili in obligatione  
manente. L. 12. ff. *de duob. reis.* Alia autem ratione  
res hodie in foro Germanico dijudicanda manet et hoc  
in casu. Non enim omnes fidejussores per se, et abso-  
lute correaliter obligati existunt, sed praestatione suaे  
ratae hodie indistincte, et in perpetuum liberantur, pér  
argumenta solide jam in cit. Diff. deducta. Liceat ita-  
que alter confidejessorum inhabilis sit, sibi tamen ipsi  
hoc imputare debet creditor, inhabilem absque contra-  
dictione admittentem. Eadem illa argumenta in citat.  
Diff. ad casum antea memoratum ex indole fidejussionis  
hodiernae adducta, et ad hunc casum propter identita-  
tem rationis, perfecte quadrant. Idque non invita, sed  
potius adnuente analogia ipsius juris romani, quod eo  
in casu, ubi plures fidejussores expresse partes viriles sti-  
pulantur, idem illud admittit, L. 51. pr. ff. *de fidejuss.*

Et

Et eadem illa ratio decidendi analogice subfuisse mihi videtur in casu, quo Icti Rostoch. d. 21. Dec. 1585. responderunt consulenti Annen von Oldenburgen, Christoph Hoben seel. Witwe: daß die Pommerschen Bürigen mit Erlegung ihres Stranges sich ihrer Bürgschaft los würfen könnten, und derer Mecklenburgischen abgestorbenen Bürigen ratam - - - zu bezahlen nicht schuldig. *Vid. Sel. Iurid. Rostoch. fasc. I. spec. 20.* Corroborant adhuc eo magis hanc meam conjecturam verba mox sequentia: Es wäre denn, daß gedachte Pommersche Bürigen des Mecklenburgischen Gebrauches (de hereditibus scilicet non obligatis, nisi specialis eorum obligatio determinata deprehendatur) Wissenschaft gehabt. Solum enim scientiam juris scienti, qui propterea jure suo uti non prohibetur, damnosam non esse, et creditori potius hic imputandum manere, quod non cautius mercatus sit, satis jam probatum dedit *cit. diff. cap. 2. §. 33.* Conjicio hinc ex verbis adjectis: ungeachtet sie sich aller Wohlthaten und privilegien insgemein begeben: et mox porro: und sich nichts weniger in solidum obligiret: quod in casu tunc temporis proposito, et renunciatio privilegiorum confidejussoribus ex legibus et observantiis provincialibus tam Megapolensisbus quam Pomeranicis competendum adfuerit, et hinc verba, wo sie nicht Wissenschaft gehabt, singularem astutiam ex circumstantiis emergentem respexerint, hinc ex *argto. L. 48. §. 1. in f. ff. de fidejuss.* illa limitatio adjecta fuerit. Quae mea conjectura, an sufficiens, aliis judicandum relinquō.



## §. 14.

MODVS REPETENDI ID, QVOD AB VNG CONFIDENTIM HEREDIBVS PRAEMORTVI CONFIDE-  
IVSSORIS, ACTIONE POST MOR-  
TEM NATA.

Alia haec scribenti occurrit quaestio. Ponamus casum, adesse notulam cautionis a pluribus confidejussoribus subscriptam, quae et intuitu omnium heredum, et renunciationis privilegiorum ex legibus, et consuetudinibus patriis competentium, specialem mentionem continet. Iam moritur unus confidejussorum, tempore, quo solutio debiti non exigebatur a creditore, aut debitum seu obligatio, pro qua forsitan futuram fidejussionem suscepereunt, nondum existebat. Casus tamen hujus suscepiae a confidejussoribus obligationis post praemortui obtum existit, debitore principali non solvente. Instat itaque creditor, et unum ex confidejussoribus correaliter absque omni exceptione obligatis ad solidum praestandum judicialiter impellit. Iam quaeritur quo modo coeteri, et an haeredes praemortui confidejussoris obligentur, ad ratam ex persona defuncti solvendam. Quoad utrumque membrum hanc quaestionem ita decidendam adfirmo, quod deducta rata solventis, quilibet reliquorum suam, et haeredes praedefuncti portionem praemortui reddere debeant et solventi, et ejus heredibus. Id quod eo certius defendere possum, quia ratione confidejussorum existentium per jura notoria res per se patet. *Vid. infra* §. 17. quoad heredes autem praemortui §. antec. 12. probationem suppeditat. In terminis fere casum ita decisum,

cisum, licet una alteraque incidenti determinatione mutatum, sifit *Ius Meckl. et Lubec. illustr. cent. 3. jud. 5.*

§. 15.

PRIVILEGIUM §. 26. REVERSALIVM AD ALIAS  
CORREALIS OBLIGATIONIS SPECIES EX-  
TENDI NON POTEST.

Hoc unicum, quin addam, non possum non, quod ex mea qualiali sententia, haec consuetudo et observantia provincialis, in reversal, d. d. 23. Febr. 1621. §. 26. ratione confidejfforum clementissime corroborata, ad alias species correalis obligationis non extendi debeat, nisi forsitan excipere velis casum in Nov. 99. cap. I. determinatum, quo duo vel plures reciproca fidejussione supponuntur obligati. Salva rectiori sententia ita sentio, quia

1.) Omnes supra in §. 10. intuitu §. 25. reversal. adductae rationes eodem modo et hic locum inveniunt Nec  
2.) Eadem facilitas, et ratio, quae in confidejffores quadrat, et ad alios simpliciter correos, re ex antiqua origine rectius pensitata, applicationem habet.

3.) Fidejfforum in specie, et beneficiorum fidejfforibus competentium, solam mentionem faciunt reversalis i. c. Immo

4.) Ipsum beneficium divisionis, cuius aemulum ad veteres mores conservandos se sifit consuetudo et observantia provincialis, non obstante Auth. hoc ita C. de duob. reis ad alios correos, nequidem jure novissimo, extensionem admittit. HEINECC. in element. jur. civil. secundum ord. instit. tit. eod. §. 845. n. 3. et schol.

5.) Non possunt adferri, quantum ad minimum constat, exempla practica ante annum 1621., quod haec con-



consuetudo et ad alias correalis obligationis species extensa fuisset, quam tamen solam consuetudinem et obseruantiam hactenus obtinentem, corroborat atque confirmat §. 26. reversarium.

§. 16.

PRAESTAT ET IN SPECIE REVERSALIO  
BVS RENUNCIARE.

*hunc* Sicuti quoque licet non necessariam, utilem tamen, et ad evitandas lites futuras maxime proficuam judico cautelam, quod non sola renunciatione des Mecklenburgischen Landes Gebrauchs, sive des Mecklenburgischen Hof- und Land-Gerichts Gebrauches, contentus sit providus creditor, sed et speciale renunciationem coniunctam, derer Landes-Reversalien, urgeat. Novum enim robur, novam vim obligandi, et speciem quodammodo legis provincialis scriptae, accepit haec perpetua, et per se jam olim valitural megapolensium observantia, per clementissimam corroborationem, et publicam approbationem in d. §. 26. reversarium. Licet non negare ausim, huic cautelae adductae quodammodo obstare verba, in gravamin. stat. provincial. ad a. 1620 sub n. 4. et in f. sub. n. 5. adducta, quippe quae et occasionem et rationem legis postea promulgatae continent. Sed superflua quoque non semper nocet.

§. 17.

RENUNCIATIO BENEFICII CEDENDARVM  
ACTIONVM NEC HODIE SEMPER EST

OTIOSA.

Denique et confidejussor in solidum conventus, et solidum praestans, ratam et ratas a confidejussoribus iterum repetere potest. Quia tamen jurisprudentia formularis

mularis romana, licet jus exigendi adesset, formula autem agendi deficiebat, denegabat ut plurimum actionem, ad emolliendum quoque hunc rigorem confidejussoribus soluturis concedebatur beneficium cedendarum actionum plus quam notorium, quam quod ejus naturam hic exponere opus sit. Sed ut eo securiores fiant creditores, nec moram forsitan in solvendo abutentes juribus sibi concessis, sub specie justi externi, ne etere possent confidejussores, et hujus beneficii renunciationem curant accuratissimi negotiorum forensium scrutatores. Quam tamen hodie plane otiosam esse, et ea non obstante confidejussorem ad solvendum parata executione compelli posse, licet quoque actio nondum cessa sit, defendit C A R P -  
z o v . p a r t . 2 . c o n s t . 1 7 . d e f . 1 7 . Quae sententia an omnibus numeris absoluta sit, paucis et binis adhuc mihi perscrutandum erit. Sunt quidem illius argumenta primo sub adspectu non absque omni pondere. Nam utique verum manet, quod confidejussor solidum solvens, si etiam respicere velis ad rigorem correalis obligationis, tamen proprium licet negotium in alterius confidejussoris utilitatem gesserit, hinc introductis actionibus utilibus, cum in effectu inter directam et utilem nil interest. L . 4 7 .  
ff. de negot. gest. et absque cessione agere possit. L . 2 . C .  
de duob. reis. Nec re penitus ponderata negari potest, quod adaequata consulta ratione nil obstet, quo minus, et facta licet solutione, cessio actionis fieri possit. His tamen non obstantibus nondum perspicio verum fundatum, ex quo simpliciter et indistincte hodie otiosa dici possit renunciatio hujus beneficii. Mox enim necessaria, mox utilis tamen et hodie manet hujus contra confidejussorem creditori competentis actionis cessio. Conf.

E

HEI-



HEINECC. in element. jur. civ. sec. ord. inst. tit. de fidejusſ. §. 886. in Icbol. Ponamus igitur casum, quo in utroque respectu per culpam creditoris, ejusque negligentiam impossibilis redditia fit actionis principalis contra confidejusſores cefſio. Annon utroque in caſu laeſio exinde oritur confidejusſori ſolutio? annon itaque reēte urgere poſſit indemnificationem ab eo, cuius culpae hoc damañum futu-rum merito imputatur? annon itaque justam habeat ſolu-tionem denegandi rationem, donec a ctio cefſa fit? Quae tamen omnia cefſant, ſi ſponte confidejusſor ante a renunciaverit huic beneficio. Et ſi quoque respicere velis ad ſecundam a Carpzovio adlegatam rationem, non omnibus haec aequior juris ſedet opinio, quod facta licet jam ſolutione cefſio fieri poſſit. Praecipue ſi litteris, et syllabarum cortici quis ex vario fundamento inhaerere cupiat forſan. Scio adhuc hodie litem eſſe pendentem, ubi quis cefſionem chirographi ex ea ratione declinat, quia ſolutio jam dudum facta. Iurisprudentia itaque cautela-rie nec hic otium Elysii campi ſemper invenit, et ſaepenumbero renunciationis quoque hujus obſervat uſum practicum.

## §. 18.

De cefſione actionis quatenus et aduersus debitorem principalem eam exigere a creditore poſſit confidejusſor ad ſolutionem adactus. meditationem quandam addere ſcopus mihi erat propositus. Legantur interim, quae hac de re Mevius in decisionibus suis paſſim adduxit. Penu-ria temporis, et ſpatium plagularum huic ſpecimini de-finatarum ſimul sermonis abrumpere jubent filum. Sisto itaque laborem Summo numini me, meaque ſtudia ſumma qua par eſt pietate commendans,



CONSULTISSIME ATQVE DOCTISSIME  
DOMINE  
DOCTOR ANDE.

FAVTOR ATQVE AMICE

CONIVNCTISSIME,

Statim per biennium, et quod excurrit, quo TE sub initio  
vitae Tuae academicae, accepi commensalem et auditorem,  
de futuro felici tuo progressu in castris nostrae themidis  
convictus fui. Cum profectibus enim in humanioribus  
litteris, cum debita solertia in studiis colendis, cum optima  
ac indefessa parentum educatione, iam tunc temporis coniungebas  
modestam quandam alacritatem, et sobrie temperatam  
in negotiis peragendis vivacitatem, moresque optimis  
exemplis excultos. Optimae indolis ac spei haec semper  
manent signa augurandi in litterarum cultore, dignos, qui debit  
aliando coronentur praemiis et honoribus profectus in  
superioris quoque, si ita dicere fas sit, eruditionis partibus.  
Haut spes me fallit, et absoluto tuo in hac academia patria  
cursu academico, in Salana ac Göttingensi musarum sede, fundamen  
tis studiorum hic iactis, cura ac manu ductione celebrimorum  
et Philosophorum et ICtorum, D A R I E S , H E L  
F E L D T , B E C K M A N N O R V M fratrum, P U T T E R I et S C H M A V S  
sii feliciter adstruxisti opus perfectum et absolutum. Non  
responsiones solum promtae in exantato facultatis examine,  
et resolutiones dubiorum a te suppeditatae, et specimen p  
raefens academicum, licet primum, sufficiens huius rei reddunt  
testimo

testimonium, sed et ulteriores defensiones in publico auditio-  
rio hoc ulterius probabunt. Gratulor hinc **TIBI**, AMICE  
SVAVISSIME, de meritis, qui consensu nostriordinis colla-  
tionem graduum academicorum producunt, iam publice su-  
scipiendam, et declarandam. Gratulor **FVLGIDISSIMAE**  
**AC EXOPTATISSIMAE MATRI TVAE, MATRONI SVMMO**  
**CVM HONORE VENERANDAE, TOTIQVE TVAE SPLENDI-**  
**DISSIMAE FAMILIAF, novum in TVA persona decus, ac**  
**ORNAMENTUM.** Gratulor patriae civem optimum, qui maxi-  
mo cum fructu ad eius salutem promovendam dignissimus fu-  
turus. Mihique autem ut et **AMICVM CONIVNCTISSI-**  
**MVM** gratulari, **TVAE** que et me in posterum amicitiae, de-  
meliori, quod aiunt nota, commendare liceat, concedas, peto.  
Plura addere multa, iam impediunt, sed quae tamen, ut in pe-  
ctore fovere possim ardentissima de omnis **TIBI** futurae felici-  
tatis genere, nec impedire possunt, nec impediunt, quae in-  
ter privatos parietes **TIBI** testanda reservo. Vale **AMICE,**  
ac fave

**T I B I**  
**AD QVAEVIS OFFICIORVM GENERA**

**ROSTOCH.**

**D. 22. NOV. 1757.**

**SEMPER PARATO PEAESID**  
**HERM. BECKER,**







TISSIME ATQVE DOCTISSIME  
DOMINE  
C T O R A N D E,  
TOR AT Q V E A M I C E  
C O N I V N C T I S S I M E,

ennum, et quod excurrit, quo TE sub initis  
e academicæ, accepi commensalem et auditio-  
felici Tvo progresiu in castris nostræ themi-  
ui. Cum profectibus enim in humanioribus  
lebira solertia in studiis colendis, cum optima  
rentum educatione, iam tunc temporis coniun-  
um quandam alacritatem, et sobrie tempera-  
tiis peragendis vivacitatem, moresque opti-  
excultos. Optimae indolis ac spei haec semper  
augurandi in litterarum cultore, dignos, qui de-  
coronentur praemiis et honoribus profectus in  
que, si ita dicere fas sit, eruditionis partibus.  
fallit, et absoluto Tvo in hac academia patria  
eo, in Salana ac Göttingensi musarum sede, fun-  
orum hic iactis, cura ac manuductione celeber-  
philosophorum et ICtorum, D A R I E S , H E L-  
M A N N O R V M fratribus, P V T T E R I et S C H M A V S .  
Instruxisti opus perfectum et absolutum. Non  
olum promtae in exantlato facultatis examine,  
dubiorum a TE suppeditatae, et specimen pree-  
m, licet primum, sufficiens huius rei reddunt  
testimo